

DE
L I N G U A

UT SIGNO

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO

PRAESIDE ET DIRECTORE,

SPECTABILI D. DECANO,

ET CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

PRO

DOCTORIS MEDICINAE

LAUREA

RITE OBTINENDA,

IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA LITTERARUM
UNIVERSITATE HUNGARICA PESTIENSI

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

GABRIEL CAJUS

SZEGEDIENSIS.

DIE MENSIS MAJI 1832.

PESTINI,

TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

*Praeterita dicere, praesentia noscere, futura
praedicere, oportet.*

Hippocrates.

AMPLISSIMO
MAGISTRATUI
AC
ELECTAE CIVIUM COMMUNITATI
L. R. CIVITATIS SZEGEDIENSIS
DOMINIS, DOMINIS AC PATRONIS
GRATIOSISSIMIS

**HAS SUAS MEDICINAE PRIMITIAS
TAMQUAM VENERATIONIS CULTUSQUE
PERENNIS MONUMENTUM
PIA CUM DEVOTIONE
SACRAS VULT**

Auctor.

Introduction.



1. **L**ingua in cavo oris sita sensui gustus inserviens, deglutitionem, et loquelam adjuvans, in dijudicandis et cognoscendis morbis; praeprimis ob magnam glandularum copiam, humores secernentium, medicis sistit objectum dignitatis summae. Quo in opere ita procedendum esse puto; ut considerem primo linguam puram, deinde linguam tectam, tum colorem, tandem motum ac volumen linguae.

2. Indoles per linguam secretorum solo aspectu dijudicari possunt; nam tenui obducitur membrana; quo fit; ut minima horum mutatio conspicua evadat: accedit et hujus organi situs liberrimus, cujus ope omni ex parte observationi patet. — Quem cum multis aliis organis fovet, consensu, lingua adhuc momentosior nobis redditur. Rami tertii paris quinti, nervi hypoglossi et glossopharyngei, intimae conjunctiones cum nervo intercostali, et acustico consensum illum praecipue efficiunt. Maxime vero in sensus cadens ille est, linguam inter et tubum intestinalem vigenz consensus, quae res ansam nonnullis praebuit illum unicum habere. Sed non spernenda est linguae cum pulmonibus et cute externa conjunctio, qua non adeo raro linguam observamus tectam, quin prima-

rum viarum secretio intensa assumenda sit; quod sufficienter admoneri non potest, ne a lingua impura ad primarum viarum sordes semper concludatur.

Lingua pura.

3. Linguam in statu normali, excepta radice mucosa tecta, puram simulque madidam deprehendimus; secretionem per totam ejus extensionem regulariter fungente; puritas igitur linguae, si ceteroquin humida est, omnibus in morbis, in quibus ab initio impura fuit, symptoma sistit criseos advenientis; quod praecipue valet in morbis gastricis, ubi periodus prima linguam praebet impuram. Sed et morbis catarrhalibus, Rhevmaticis et arthriticis tempore acmes lingua debetur purior. Significationis contra dubiae linguae est puritas in morbis antea commemoratis, si absque criseos indicio repente cum rubedine et siccitate conjuncta occurrat; hocce in casu vel vasorum absorbentium irritationem magnam, vel vasorum exhalantium contractionem spasticam annunciat; quibus resorptione nimie incitata, secretio ex integro prohibetur: et eo ominosius phaenomenon istud evadit; quo majore comitatur virium exhaustionem.

4. Febris nervosa torpida frequentissime linguam puram rubramque ostendit, et ad longiorem morbi decursum concludere nos ducit. Febres sic dictae biliosae, quibus ab initio lingua debetur tecta, non raro sub decursu morbi nimie puram, rubramque exhibent: nil minus, quam crism turbatam, metastases imminentes, et transitum febris biliosae in nervosam timendum habemus. *) Nec non in exanthemati-

*) Stoll. Rat. med. T. I. p. 221.

bus febrilibus lingua talis periculi est magni, praecipuis si per exanthematis eruptionem, vel isto jam florente crisim se manifestare expectamus. Crisis haec per intensam omnium organorum secretionem annunciare se debet, hic vero impedita omni secretionem; exanthematum metastases procul dubio instant. Ominosissimum vero Symptoma in febribus est lingua pura, si simul siccitatem majorem, et reliqua debilitatis indicia post se trahit; characterem morbi malignum et maximum periculum indicat. Sic vix non semper in peste orientali, myrmekiasi, inter morbi utrumque terminum summa cum debilitate linguam adesse purissimam compertum habemus. In morbis acutis linguae puritas, siccitas, et rubedo repentino modo exorta inflammationibus internis debetur. Majorem adhuc explorat hujus conclusionis certitudinem, si urina flammea cum siti ardente accedit. In febris nervosa, in exanthematibus, in dysenteria lingua pura et rubra inflammationes internas supponit. — Causam siccitatis linguae non adeo raro glandulis salivalibus debite non fungentibus, vel salivae secretae adfluxui denegato, vel denique inflammationi linguae tribuendam esse experientia docet.

5. Siccitatis major gradus *asperitatem* nanciscitur linguae. Cujus phaenomeni origo in singularum papillarum majori erectione, atque illarum rigiditate quibus interstitia magis introrsum trahuntur, explicatum suum quaerit. Asperitas haec saepe spasnis vehementioribus, quibus papillarum vasa constringuntur, et secretionem inde cohibitae tribuenda erit. Ideo in morbis praecipue acutis linguae asperitas non tantum criseos spem eripit: sed etiam qua insultus nervosium et delirii prodromus incedet. Maxima cum probabilitate timendum nobis est periculum istud in

febris gastricis, et rheumaticis in quibus ab initio lingua pura et mollis, subito asperam se ostendit. — Sed et in febris gastricis et inflammatoriis non raro lingua nimie se offert aspera, quod cum defectu criseos totali cohaeret. Frequenter inflammationes organorum Cavi thoracis, quibus senes regnante februm catarrhalium epidemia corripuntur inculpandae sunt. Plurimi senum inflammationibus his affecti conclamandi sunt, rarissime nimirum crises bonae hisce in morbis occurrunt. Lingua nempe pura et rigida ad spasmos ducit, secretiones omnes impediens. *)

6. Eminentior siccitatis gradus linguae in epidermide ejus rimas fissurasque progignit, ex quibus sanguis et humores acres fluunt. Symptoma hoc inter ominosissima locum sibi vindicare nos non fugiet; tensionem in epidermide tenuissima locum habentem in considerationem si sumamus; qua et epidermis rumpitur, et omnis secretio prohibetur. Occurrit fissa cum superficie lingua in morbis valde acutis, in quibus secretionis organorum, limites omnes transgressa, exaltatio functiones regulares turbat, acrimonia peculiari humores secretos donat. — In initio febris putridae cum inflammationis apparentis phaenomenis linguam talem fissam invenire solemus, nil facilius in casu attacto; quam ut humores ad degeneraciones proclivi reddantur. — In variolis, in dysenteria observandae linguae fissae non raro nobis non deest occasio; illam, si spasmi, sopores, et stupor universalis, affectiones non exiguas systematis nervosi indicantes, et metastases comitentur. Cujus vero signi-

*) Sprengel Handbuch der Pathologie T. II. §. 143.

ficationis morbis in his linguam esse fissam arduum non est evincere.

Lingua tecta.

7. Quod tegit linguam stratum, humorum spissiorum secretioni excedenti necessario adscribendum est. Humoribus vero his tegentibus albuminis, lymphae coagulabilis et aliarum materierum, principio tingente abundantium, quantitas non exigua admixta esse debet; si rubedinem linguae intensiorem, e permagna vasorum sanguiferorum copia exsurgentem, perlucere impediret. Hominum secretionem adaucta gaudentium non sunt pauci, quibus in statu normali lingua est perpetuo tecta; quae res sanitatis detrimento tam parum est; quam in frequentioribus adhuc casibus alvus liquidior: sic v. g. apud fumatores. Per aërem exspiratum possunt etiam quaedam praecipitari linguam tegentia. Vitium topicum linguae, aut partium adjacentium, ipsa degeneratio Salivae, blennorrhoea pulmonum, quae omnia linguam spurcam reddere possunt. Ex quibus sufficienter elucet: omnem tegumenti linguae mutationem sordibus primarum viarum minime semper adscribendam esse.

8. Exordio quae generatur in morbis acutis lingua tecta, secretionem tantum supponit excedentem; nubecula urinae saturatae, nec non transpiratione calidiore accedentibus pro fausto signo habenda. Plurimis in morbis remissionis virium intensarum praesentiam nos edocet, et criseos bonae eventum summa cum laetitia expectat medicus. Post exanthematum eruptionem completam, post spasmos vehementiores lingua tecta, et humida semper remissionem indicat. Si

vero omnium virium intentio ex morbi natura necessario fluit, significationis bonae lingua tecta et humida esse nobis non potest, aliis praesertim organis intensis. Sub initio febris inflammatoriae vehementioris vel sub stadio aestus febris cujuscunque, lingua si deprehendatur tecta et nimis humida, pulsu vero duro et frequente, cutis sicca, et urina flammea comitata anomalias morbi involvit, et exitum morbi dubium promittit. Inflammationes cum symptomate hocce ob relaxationem virium longiorem morbi decursum annunciant. Saepe vero in morbis praefatis per linguam tectam et humidam ad complicationem cum affectionibus gastricis concludere fas erit, si reliquarum circumstantiarum consideratio accuratior cum judicio hocce concordet.

9. Quam glandulae mucosae et villi secernunt, humor mucosus tenuis coloribus ludens vernicis adinstar lingae ita adjacet; ut naturalis color non minus transluceat. Humor secretorum resolutionem inchoantem per coloris lusum se manifestare videmus; ideo in morbis acutis linguae tegumentum tale advertere possumus, si transitus in febrim putridam instet. Non minus frequenter in scorbuto similibus sub circumstantiis lingua talis communis est.

10. Non raro interstitia papillarum linguae muco teguntur, ipsae vero papillae purae ac liberae manent, inde talem offert adspectum, quo lingua villosa dicitur. Linguae hanc constitutionem secretio sat temperata provocare valet, ubi humores secreti secernentes in papillarum interstitiis jaceant. — Hominum dantur nonnulli, quibus, ceteroquin sanis, ventriculo nimie impleto, aliave diaetae errore, lingua est villosa, quo in casu reactionis per secretionem adauctam se manifestantis naturae indicium est. Eodem

tempore sedimentum urinae mucosum adesse consuevit; quo Hippocraticum: linguam urinae conditionem indicare confirmatur. Consueva est talis lingua hominibus viscerum abdominalium debilitate, et mucosae primarum viarum laborantibus: ideo in hominibus arthriticis tempore insultus silentis lingua observatur villosa. Sic in infantibus pluribus febre verminosa laborantibus, vel scrophulosis; sic in viris hypochondriacis, vel haemorrhoidibus affectis. — Est etiam linguam perpetuo observare villosam, quin ulla sit causa ad mucositatem concludendi: e. g. in febre intermittente, in febre nervosa torpida. Casus hi debilitatem non exiguam organorum secernentium assumere jubent, et chronicus morbi decursus imminet. Febris imprimis intermittens perpetuam linguae villositatem exhibens, pertinaces morbos secundarios: hydropes, infarctus viscerum abdominalium promittit. — Si initio febris inflammatoriae, ubi lingua occurrere solet pura et sicca, villosa apparet, symptoma hocce irregularem febris decursum, et crisin imperfectam indicat. Inflammationes organorum Cavi thoracis simili in casu chronici evadunt, in hydropom pectoris potissimum transire amant.

11. Tegumentum album linguam non raro instar laridi obducit et lingua inde *lardacea* appellatur. Probabiliter hoc symptoma radicatur in majori relaxationis gradu vasorum secretivorum et excernentium. Significationibus ominosissimis adnumerandum est hocce symptoma. Maxime autem abhorreere lardaceum linguae tegumentum est in morbis acutis, ubi vix non semper totalem vasorum absorbentium atoniam supponit. In omnibus morbis epidemicis vitae periculum inducentibus linguae tale crassum, album, viscidum obvolucrum observare licet: in peste orientali, in ty-

pho contagioso Europeo, in Dysenteria maligna, in Cholera indica, in variolis malignis symptoma hocce est pessimae significationis; communiter sopor, exhaustio totalis illud excipiunt.

In morbis afebrilibus lardacea lingua frequentior et minoris est significationis; imprimis vero saepe observatur in arthritide, ubi longiorem et pertinacem morbi decursum monstrat; in syphilide in herpete, in lepra, notabilem gradum morbi, et curae pertinacis designat.

12. Omnibus in casibus, in quibus linguae tegumentum observare licet, ratio *Cohaerentiae* habenda est. Laxior cohaerentia e sufficiente succorum secretorum elaboratione prodibit, et praesentibus etiam aliis signis in pulsu, urina et cuti externa pro signo criseos advenientis haberi potest. In omnibus morbis gastricis laxitas linguae tegumenti symptomatibus bonis adnumerare possumus, si soluto pedetentim involucrio semper purior evadit.

Involucrum valde tenax et firmiter cum lingua conjunctum secretionem impeditam supponit. Ubi humores satis elaborati aliqua quantitate secernuntur in morbis catarrhalibus, rhevmaticis, gastricis, in febribus nervosis involucrum tale linguae crism tardiozem denotat. Frequens est talis lingua in morbis chronicis et in reactionis naturae insufficientia explicatum suum habet. Debet ergo concludi in febre intermittente chronica in arthritide in hypochondriasi ad morbi anomalum decursum.

Color Linguae.

13. Color in involucrio linguae se manifestans attentionem magnam meretur: quia ex admixtione ma-

terierum in humoribus hic locorum secretis ad indolem secretorum in reliquis corporis partibus conclusio fieri potest. Occurrit autem tegumentum linguae colore albo, flavo, fusco, nigro, et livido. Maxima cum probabilitate concludere valemus ex tegumenti linguae colore ad mutationem periodorum morborum acutorum; quia secretiones harum exacte determinant.

14. Color albus tegumenti linguae saepissime occurrit. Oritur ex albumine satis non elaborato in humoribus secretis, et defectu principiorum tingentium; vasorum secernentium reactionis gradum minorem semper praesupponit. Interea initio morborum auctorum color iste albus significationis est minoris, quia praesente tegumento secretio aliqua locum habere debuit. Prosperis in casibus color albus in flavum transire solet, simulque laxitatem adipiscitur majorem. Sequitur inde praesentiam perpetuam tegumenti linguae coloris albi longiorem morbi decursum promittere. Frequentissime autem involucrum album debetur morbis catarrhalibus, infarctibus viscerum abdominalium phtisi mucosae. — In morbis chronicis involucrum album linguae frequens adesse solet; et nihil aliud, quam laxitatem vasorum secernentium supponit: sic in arthriticis, hydropicis.

15. Colorem quod attinet flavum, tegumenti linguae ab admixtione bilis principii tingentis in humoribus secretis repetitur, supponitque, si linguae colorem album excipiat, majorem vasorum absorbentium activitatem: his sub circumstantiis tegumentum antea tenacius, nunc vero laxius crasim bonam secuturum denotat.

Quam progignunt morbi acuti ab initio lingua cum coloris flavi tegumento, et muco viscido plavescente biliosam complicationem eruit. Peripneumonia

characterem habet biliosum, si lingua ab initio statim tegumento tingatur flavo; idem sub decursu morbi, si contingat, nullam indicat complicationem, sed solum polycholiam sympathicam — Dantur casus, in quibus flavum linguae involucrum prognosim sistit dubiam; lingua, quae antea simplici vernice obducta fuit, urina semper turbida, febris crescente comitata, subito flavescens, resolutionem humorum et febris putridae proximam evolutionem enunciare solet.

16. Saepe linguam tegentia colore apparent fusco, quod semper ab inchoante jam resolutione succorum secretorum, a lymphae coagulabilis, et principii bilis lingentis degeneratione derivandum. — Interdum observare licet tegumentum fuscum superficiei asperae linguae in morbis acutis, si pulsus durus, parvus, irregularis, urina fusca, cutis nimie sicca, et spasmi se ubique offerunt: his omnibus praesentibus cum certitudine ad illum febris nervosae gradum concludere fas est, qui conjunctus est cum humorum resolutione.

In morbis chronicis lingua tale tegumentum nancisci solet in hominibus arthritide et haemorrhoidibus affectis, obstructionibus viscerum abdominalium laborantibus. Sed et in ictero chronico lingua talis frequenter adest, quo in casu secretio bilis manifeste patitur, et vestigia resolutionis principii tingentis bilis in lingua quoque in conspectum veniunt.

17. Color tegumenti linguae interdum niger est, ad gradum majorem succorum secretorum degenerationem ducit, et non raro totalem infractam actionem organorum secernentium vitalem supponit. Sed hic notandum est, quod tegumentum aliis etiam coloribus tinctum partim a cibus, partim a potulentis, vel etiam ab aeris longiori accessu colorem nigrum assu-

mere possit, quod medicum facile seducere valet. — In omnibus morbis acutis linguae nigrum tegumentum ut symptoma ominosum considerandum est. Sic in inflammationibus cum debilitatis summae et aliis resolutionis indiciis, in dysenteria, in variolis malignis ad gangrenam partium internarum concluditur. Summum respectum ad symptomata comitantia habendum esse inde intelligitur quod interdum lingua pura et sicca sub calore mordaci febris colorem nigrum assumat, quod jam Hipocrati observatum fuit. *)

Morbi chronici, ubi secretio bilis ob infarctus Hepatis pertinaces turbatur, involucrum linguae nigricans producere valent; hanc ob causam in hominibus ictero, ulceribus aut scirrho hepatis laborantibus lingua nigricans ominosum sistit symptoma, degenerationem hepatis summam denotat.

18. Quandoque lingua tota livescit, aut violaceo cinerea fit, quin muco tegatur, quod repetendum, vel circulo turbato, vel a nimia venositate sanguinis: inde in morbis septicis, vitiis topicis linguae, in quibus sanguis potius stagnat, quam circulet, lingua talis conspicua fit. — Dum lingua laevissima absque rugis apparet, quasi polita symptoma pessimum, indicans encephali tentationem, in spasmis vero insultum maniae, epilepsiae aut aliarum nevrosium imminentem.

19. In observando involucro linguae, quem occupat, loci ratio habenda est. Linguae tota superficies aequaliter tecta si reperiatur, majorem, regularem tamen, secretionem indicat, et morbo jam evoluto melioris est significationis, quam si pars tantum linguae obvolvatur. — Saepe radix tantum linguae, jam

*) De affectionibus pag. 167.

in statu normali, muco, vel aliis humoribus obducitur. Cum in regione hac plurimae sint glandulae mucosae, hinc secretionibus generatim adauctis, et hic locorum secretio adaucta conspicietur. Limitatio tegumenti linguae circa radicem ejus ab eo frequenter dependet, quod mucus ob laxitatem suam per motum omnem linguae facile ad radicem ejus detrudatur: ideo horis matutinis majorem linguae partem obductam reperire solemus; quam vespertino tempore, quo tantum circa radicem limitatur. — Dantur et Casus, in quibus dimidia tantum pars linguae muco, vel humoribus tegitur, alia parte pura relicta. Indicat hoc generatim affectionem dimidii lateris corporis: sic in hemiplegia, hemicrania, in prosopalgia unius lateris pars linguae affecti lateris tecta deprehenditur; hinc et in affectione pulmonis unius pars linguae pulmoni affecto respondens obvoluta non raro observationi. In Phisi laryngea tegumentum flavo album partis dimidiae linguae radicem versus obscurius, alia vero parte pura et sicuti abscissa juxta Cl. Saehse signum est diagnosticum. *)

Motus Linguae.

20. Anomalias quod attinet motuum linguae diversissimorum nervis directorum, momentosissima constituunt symptomata, ipsius incephali statum nos edocentia. Aberrare autem potest linguae motus vel per excessum, vel per defectum. — Lingua peculiari saepe instruitur volubilitate, et nonnunquam tam accelerata, ut voluntatis imperio amplius non dirigatur. Irritabilitas musculorum linguam moventium intensa,

*) Beiträge zur genaueren Kenntniß und Untersuchung der Kehlköpfe, und Luftröhren, Schwindsucht.

saepius vero nervorum, et ipsius Encephali sensibilitas exaltata causam hujus phoenomeni efficiet: sic in maniacis, epilepticis, viris hypochondriacis, feminis hystericis deinstante insultu nos admonet. In morbis vero acutis ab adfectionibus Cerebri provocatur. Quae autem nevrosibus debetur summi est descriminis. Minoris contra est significationis acceleratus linguae motus e musculorum irritabilitate adaucta generatus, sed et per vermes in intestinis et visceribus latitantes symptoma hoc provocari potest, non desunt etiam homines, in quibus talis linguae motus habitualis est.

21. Causae linguae motus retardantes vel mechanico obstaculo, in tumore linguae, inflammatione, laesione partium moventium, vel paralyti topica musculorum linguam moventium, vel ex spasmis topicis ubi simul rigida evadit originem repetunt, quibus in casibus significationis non est magnae. Quem debilitas universalis producit, retardatus linguae motus, ubi nonnunquam per vices summa cum difficultate porrigi potest, virium omnium exhaustionem et infelicem praesagit eventum; obruta encephali vita motus linguae non minus turbari potest, linguae tunc paralyti ominosissimum symptoma sistit.

22. Nonnullis in casibus linguae tremor perpetuus, si illa moveri debeat, observatur, qui casus musculorum linguae moventium irritabilitatem exaltatam indicat et peculiaris significationis non est praesente animo timido, anxio et aestu febrili. Sed et cum omni virium adstrictione tremor linguae conjungitur, cum vomitus congestiones versus caput linguam nanciscuntur tremulam; hac e ratione veteres quae prognosticum symptoma haemorrhagiae narium criticae consideraverunt. Tremula lingua in morbis acu-

tis, si simul sicca deprehenditur, et reliqua debilitatis indicia non desunt, periculi est et vel delirium, vel convulsiones sequuntur.

Volumen Linguae.

23. Volumen linguae variis e causis augeri vel minui potest. Aucti linguae voluminis varii sunt gradus, quandoque in tantam increscit molem ut ore capi non possit. Lingua tumida simulque rubra inflammationem supponit. Ab hocce linguae tumore probe distinguendus limitatus, partem ejus tantum occupans, sic et excrescentiae, imprimis marginibus consvetae. Praeparatorum hydrargyri usu lingua non raro intumescit, crenata evadit, et in margine asperitates nascuntur (prodromi salivationis.) Lingua nimie tumida, anginam membranaceam comitans, periculum praesagit. Sed et inflammatorius linguae tumor, haesitantiam linguae progignens significationis est pessimae, congestiones magnas versus encephalon et spasmos indicat.

24. Imminutum linguae volumen vel cum consveta illius mollitie et volubilitate conjunctum, vel cum rigiditate et retractione occurrit. Primo in casu nutritionis defectum demonstrat et in hominibus cachecticis tabem notabilem supponit. Contracta vero et rigida, aut versus fauces retracta lingua, absque dubio in spasms musculos linguam moventes adficiendis causam agnoscit. In nevrosibus chronicis talis lingua consveta ex qua ad intensitatem spasmorum facile concludi potest. In morbis acutis periculi est maximi: nam spasmi vehementiores in organorum nobilium vicinitate sequelas pessimas producant oportet.



T h e s e s.

1. **L**ingua spurca non semper denotat affectiones gastricas.
2. Dentitio non est e morborum aetiologia eliminanda.
3. Dentes sunt appendices systematis dermatici potius, quam ossei.
4. Non datur morbus intermittens.
5. Causa proxima febris nervosae est irritatio vel inflammatio nevrilomatis universi.
6. Venae non solum revehendo sanguini, sed et resorptioni humorum destinantur.
6. Processus respirationis cum combustione certo solo sensu comparandus; sicut digestio cum fermentatione.
8. Asthma Millari ab angina membranacea differt.
9. Medicus amicus, optimus medicus.



